78

# De sex huius seculi aetatibus

VI De sex huius mundi aetatibus ac septima uel octaua quietis uitaeque caelestis. & supra
in comparatione primae ebdomadis in qua mundus ornatus est aliquanta
perstrinximus & nunc in comparatione aeui unius hominis qui microcosmos graece
a philosophis id est minor mundus solet nuncupari de eisdem aliquanto latius exponemus.

I Prima est ergo mundi huius aetas ab adam usque ad noe continens annos iuxta hebraicam
ueritatem mille sescentos LVI. iuxta LXX interpretes II CC XLII. generationes iuxta utramque
editionem numero X. quae uniuersa deleta est diluuio. sicut primam cuiusque hominis oblibio
demergere consueuit aetatem. quotus enim quisque est qui suam recordetur infantiam.

II Secunda aetas a noe usque ad abraham generationes iuxta hebraicam auctoritatem com
plexa X. annos autem CCXCII. porro iuxta LXX interpretes anni CCLXXII. generationes
uero XI. Haec quasi pueritia fuit generis populi dei. & ideo in lingua inuenta est id est hebrea.
a pueritia namque homo incipit nosse loqui post infantiam quae hinc appellata est quod
fari non potest.

III Tertia ab abraham usque ad dauid generationes iuxta utramque
auctoritatem XIIII. annos uero DCCCCXLII complectens. Haec quaedam uelut adoles
centia fuit populi dei. a qua aetate quia incipit homo posse generare. propterea
mattheus euangelista generationum ex abraham sumpsit exordium qui etiam pater gentium
constitutus est quando mutatum nomen accepit.

IIII Quarta a dauid usque ad trans
migrationem babylonis annos habens iuxta hebraicam ueritatem CCCCLXXIII. iuxta
LXX translationem XII amplius. generationes iuxta utrosque codices XVII.
quas tamen euangelista mattheus certi mysterii gratia XIIII ponit. A qua uelut
iuuenali aetate in populo dei regum tempora caeperunt. Haec namque in ho
minibus aetas apta gubernando solet existere regno.

V Quinta quasi senilis
aetas a transmigratione babylonis usque in aduentum domini saluatoris in carnem
generationibus & ipsa XIIII. porro annis DLXXVIIII extenta. in qua ut graui
senectute fessa malis crebrioribus plebs hebrea quassatur.

VI Sexta quae nunc
agitur aetas nulla generationum uel temporum serie certa. sed ut aetas de
crepita ipsa totius seculi morte consumenda. has erumnosas plenasque laboribus

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG

BnF Bibliothèque nationale de France

HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen

UNESCO Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation

Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991

© Bibliothèque nationale de France / gallica.bnf.fr

http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/bnf_lat5018/0163